



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

Tertius Liber

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

TERTIVS LIBER,
QVI INSTRVIT RELIGIOSVM
contra aduersarium. Et complectitur qua-
tuor partes. In quarum prima ostenditur,
quod multum tentetur mundum relinquen-
tes, & quod daemones tentent homi-
nes, & hoc per duo ca-
pitula.

CAPVT I.

Quod multum tententur mundum relinquentes.



STENSO quomodo qui in religione est, se debeat habere ad mundum, & ad corpus proprium, nunc agendum est de tentationibus, quæ multum solent vexare nouitium. Persecutus est Pharaon magno exercitu filios Israël, qui recesserunt ab eo. Spiritus immundus multum desiderat redire ad domum vnde exiuit: & vt illi, qui eum contempsit, possit præualere, assumit septem spiritus nequiores se. In deserto tentatur Saluator. Glos. In deserto fit tentatio: quia non ante hostis se erigit, quàm homo de mundo exit. Ideo accedenti ad seruitutem Dei dicitur; Præpara animam tuam ad tentationem.

Exod. 14.

Matth. 12.

Luc. 11.

Glos. ord.
circa initi-
um, cap. 4.

Lib. 8. cap.
10. à med.

Ecclesiast. 2. Gregorius in Moral. Lu-
cem rectitudinis, vmbra se-
quitur tentatio-
nis.

Quid

Quòd demones tentent homines.

CAPVT II.

Circa tentationes ostenditur primò, quòd demones impugnant & tentant homines. Secundò, quod tentationes amicis Dei sunt vtilis. Tertio, ostenduntur modi impugnandi quos tentator habet. Quarto, quibus modis qui tentatur, repugnare debet. Ostensio primi multum est necessaria. Cùm enim demones sint inuisibiles, eorum pugna est inuisibilis, nec sensu corporali percipitur: imò oportet vt ad lumen fidei oculis cordis manifestetur. Ignorantia huius impugnationis periculosa est. Non enim repugnat, qui se impugnari ignorat. Bernardus. Diabolus, quem videre non possum, *In med. ca.* & ideo minus cauere, tetendit arcum suum, *14. ante me dium.* & in eo parauit sagittas suas: narrauit vt absconderet laqueos, & dixit: Quis videbit eos? Hieronymus: Tunc maximè impugnaris, cùm te impugnari nescis. Grande periculum est, iuxta se habere hostem suum, & nescire hoc. Circa primum notandum, quòd impugnatione, quam diabolus facit homini, certificari potest ex tertio capite Genesis: Vbi serpens mulierem decepit: vbi etiam Dominus ostendit Dæmonis impugnationem esse duraturam, dicens: Inimicitias ponam inter te & mulierem: & semen tuum & semen illius. Secundò, ex libro Iob 1. & 2. capite vbi sathan petiit à Domino, vt daret ei licentiam flagellandi Iob. Item: Matth. & Lucæ 4. vbi legitur, diabolum tentasse Dominum. Et secundum Augustinum assum-

assumpsit formam humanam : quod permittit Dominus, vt tentatio ista certior fieret. Item, ad Corinth. 7. Reuertimini in idipsum, ne tentet vos sathanas. Et Ephes. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates tenebrarum harum. Et, Cur tentauit sathanas cor tuum? Et de beato Martino legitur, quod diabolus multoties apparuit ei in forma humana. Similiter de beato Antonio, cui apparuit in forma pueri nigri: & in forma animalium diuersorum generum. Simile legitur de multis aliis Sanctis.

Actor. 5.

SECUNDA PARS HVIVS TERTII
vno tantum clauditur capitulo. In quo ostenditur,
quod tentationes amicis Dei multum
sunt vtilis.

CAPVT I.

CIRCA secundum notandum, quod tentatio est multum vtilis. Bernardus: Necessesse est vt tentationes veniant. Quis enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit? Aut quomodo certabit, si desit qui pugnet? Quid mihi cum victoria: si nec in prælio fui? Impudentissimè mihi arrogo vel gloriam sine victoria: vel victoriam sine pugna. Tentatio primo erudit. Armorum experientia militibus est necessaria. Militia est vita hominis super terram. Hæ sunt gentes quas reliquit Dominus, vt in his erudiret Israëlem. Qui non est tentatus, quid scit? In eodem. Qui tentatus non est, quid scit? Secundò, humiliat; & sic à præcipitio superbia

*Serm. 64.
super Can.
in prin.*

Job. 7.

Job. 3.

Eccl. 34.

bia conseruat. Gregorius. Dum vitia nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant. Idem. Iebusæum Israël tolerat: vt humana mens de se humilia sentiat: dum minima non superat. Cùm per tentationem humilitas proficit: prospera est ipsa aduersitas: quæ mentem a b elatione custodit. Idem; Cùm tentamur vitiis, dispensatione diuina nobiscum agitur, ne virtutibus, quibus proficimus, extollamur. 2. ad Corinth. 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, &c. Tertio, negligentiam repellit. Vnde glos. dicit super illud Psal. Proba me Domine, & tenta me. Nisi tentaremur, negligentes essemus. Timor hostium facit homines vigilantes: securitas verò facit eos pigros. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Quarto, virtuti adiicit. Seneca: Multum sibi adiicit virtus lacesita. Carnis prouocatus bellicosior efficitur. Gregorius: Ignis flatu premitur, vt crescat: aqua inuento obstaculo, maiores vires exercet. Sic certamen tentationis occasio est, vt ei qui tentatur, gratia augeatur. 1. ad Corinth. 10. Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Quinto, virtutem hominis notificat: Tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat si diligatis eum, an non. Gregorius: Nemo vires suas in pace cognouit. Si enim bella defunt, virtutum experimenta non prodeunt. Idem, Mira nobiscum dispensatione agitur, vt mens nostra nonnunquã pulsatione culpæ feriatur. Nam esse se magnarum virium, vel

*Glossa ord.
ibi ex Cas-
sio.*

*Matth. 27.
Epist. 13. pa-
rum à prin.*

*Lib. 6. regi-
stri, cap. 19.
à princip.*

Deut. 13.


H vir-

*In Vita i-
psius quam
scripsit A-
thanasius.*

*1. Tim. 2.
Iacob. 1.*

Tob. 3.

virtutum, homo crederet, si nullum vnquam earundem virium defectum intra mentis arcana sentiret. Sextò, Deum glorificat. In Psal. Eruam te, & honorificabis me. Septimò, populum ædificat. Tob. 2. Hanc tentationem ideo permittit euenire illi Deus, vt posteris daretur exemplum patientiæ eius. Octauò, ei qui tentatur honorem in præsentem acquirat. Vnde legitur de beato Antonio: qui cum quadam nocte à dæmonibus esset laceratus, subitò venit radius lucis, & dæmones & tenebras effugant statimquæ Christum, præsentem intelligens, dixit: Vbi eras, bone Iesu, vbi eras? Quare à principio non affuisti, vt curares vulnera mea? Respon- dit vox ad eum ait: Antoni hic eram: sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem qui viriliter dimicasti, faciam te in toto orbe nominari. Nonò, in futuro coronat. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Et dicitur de sufferente tentationem, quod cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Hoc pro certo habet omnis qui colit te: quia vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.



TERTIA

TERTIA PARS HVIVS LIBRI TRIA
in se habet capita. In quorum primo dicitur, quòd diabolus mendaciis multum vtitur: & aliqua mendacia specificantur.

CAPVT I.

CIRCA modos impugnandi quos diabolus habet est notandum, quòd diabolus multum vtitur mendaciis tentando. Ipse mendax est & pater eius. Mendacio vsus est; *Ioan. 8.*
 tentando mulierem, cum ait: Nequaquam moriemini. Item tentando Salvatorem: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. *Matthæi 4.* Illi, qui est in peccato, promittit longam vitam, vt differat venire ad pœnitentiam. Hæc est promissio nequissima, quæ multos perdidit, *Ecclesiastici 29.* Cum pater cœlestis tempora & momenta in sua, non in diaboli potestate posuerit, valde fatuus est, qui credit diabolo de sua futura vita disponenti. Valde fatuum est credere mendacio illi, quo diabolus plus quam centum millia hominum duxit ad infernum. Dicebat enim eis: bene adhuc facietis pœnitentiam: & voluntatem & spem habebant faciendi eam: nunc verò in inferno sunt, & non possunt facere eam. Licet Deus peccatori, si pœnituerit, promittat peccatorum remissionem: tamen non promittit ei crastinum diem. Illi qui pœnitentiam assumpsit, nititur diabolus suadere, vt abiiciat onus pœnitentiæ. Ad quod multis fraudibus vtitur. Primò, mentitur exonerationem,

H 2

tionem,

tionem, quod non est exoneratio, sed leuis oneris in grauisimum onus commutatio: vt feftuca in trabem vel montem. Vnde ille qui tentatur, debet dicere tentanti: Si hoc onus deposuero, nunquid sine onere ero? Cui quaestioni planè respondere voluerit, dicere poterit: Imponetur super te mons magnus, scilicet infernalis pœna, monte grauior, Apocalyp. 6. Dicent montibus, cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira agni quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, Bonum est ergo leue onus ferre, vt tantum onus possimus vitare. Non mittam aliud pondus super vos: tamen id quod habetis tenete. Secundo, ea quæ diuisim portanda sunt, simul ostendit, dicens: Quomodo hoc possis portare totis annis? Cui dicendum est: Hoc hodie cum Dei adiutorio portabo: & cras tantundem portabo leuius cum Dei adiutorio, propter assuetudinem. Sic vbi fallit compositio soluit diuisio Matthæi 6. Sufficit diei malitia sua. Tertio, virtutem hominis à Dei virtute diuidit, dicens: Tu debilis es, nullo modo posses hoc portare. Cui dicendum est: Si intelligis, mea virtute sola, dicis verum: cum scriptum sit Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere: si verò intelligis, quod non possim Dei virtute adiutus, euidentis est mendacium. Confidimus in Domino Iesu, quoniam am qui cœpit in nobis bonum opus, perficiet. Omnia possum in eo qui me confortat. Quarto, spoliationem mentitur exoneratione. sicut quando latro simplicem scholarem exonerat de cappa sua. Aurum vel lapides pretiosos debet reperire

Apoc. 2.

Phil. 1.

Ibid. 4.

reputare pœnitentiam, quam tibi vult auferre. Vnde debes eum cauere, sicut spoliatorem rei pretiosissimæ. Suadeo tibi à me emere aurum. *Apoc. 3.* Aurum emere, est fructū pœnitentiæ preparare. Quintò, querit pondus diminuere, ad quod cœleste gaudiū tibi tradendum est. Id quod in præfenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. *2. Cor. 4.*

De quatuor tentationibus diaboli.

CAPVT II.

Multiplicem diaboli tentationem ostendit Bernardus, loquens de illo verbo: Scuto *Serm. 5. super Psal. qui habitat à medio.* circumdabit te veritas eius, non timebis, &c. Sunt, inquit, quatuor tentationes, in quibus vndiq; circumdati, necesse habemus scuto Domini circumdari ante & retro: à dextris & à sinistris. Timor afflictionis nocturnus & planè tenebrosus: quia abscondit ab oculis, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: sed facile hunc radius veritatis exuperat. Ingerit enim oculis cordis nunc peccata quæ fecimus, nunc æterna supplicia, nunc æterna præmia, nunc ea quæ pro nobis pertulit Christus. Ad lucem ergo tam multiplicis veritatis nox recessit. Sed time sagittam, quæ in die leuiter volans, non leue vulnus infligit. Hæc sagitta est vana gloria, quam oportet cauere feruentiores: ne deserant scutum veritatis. Quid enim tam contrarium veritati? Et subdit: Primò à sinistris pulsatur diabolus pusillanimitate; deinde à dextris,

H 3

huma-

humanis laudibus. Si sic non proficit, dicit: Viribus deiicere nequeo: sed fortè deiicere poterò alicuius ingenio proditoris. Negotium perambulans in tenebris, est ambitio, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum arugo, tinea sanctitatis. Contempfit enim, ait, vanam gloriam, quoniam vana est: fortè aliquid solidius affectaret, fortè honores, fortè diuitias. Quid nì veritas, inuestigat hunc proditorem, & negotium arguit tenebrarum? Non restat callido inimico contra eos, quos videt omnimodis diligere inuitiam, & odisse iniquitatem, nisi vt iniquitatem palliet virtutis imagine. Quos enim nouit perfectos boni amatores, malum eis sub specie boni non mediocri, sed perfecti suadere conatur vt facile qui currit, incurrat. Ipse sathanas transfiguratur se in angelum lucis. Sola autem est veritas, quæ palliatam detegit falsitatem.

2. Cor. 11.

*Quòd quinq; aduertenda sunt & timenda circa
diaboli impugnationem.*

CAPVT III.

Circa diaboli impugnationem quinque nobis aduertenda sunt & timenda, scilicet, dolositas, crudelitas, continuitas, varietas, & vniuersitas. Dolosè impugnat, non solùm quia mendacis vitur, vt prius ostensum est, sed etiam quia tortuosè incedit: nec agnoscitur ab eo qui tentatur, quid intendit. Tria sunt mihi difficilia, &c. vnum illorum est, via colubri supra petram.

Pro. 30.

tram. *Glos.* Viam colubri vocat venenati hostis
 astutiam, quæ insidiari non desinit his, quos in
 petra fundatos esse conspicit. Item quod dele-
 ctabile est proponit: quod molestum est, subti-
 cet. Sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues
 capiuntur laqueo: sic homines capiuntur tem-
 pore malo, scilicet tempore tentationis. Pisces
 capiuntur esca hamo superposita. Secundò,
 crudeliter & immisericorditer impugnat: vt pa-
 tet in Iob, cui abstulit sua & suos, & afflixit in
 propria persona. Et si in aliquo videtur parce-
 re, etiam in hoc intendit impugnare: vt patet
 in vxore Iob, quam ei reliquit, per quam eum
 postea impugnavit: quæ dixit ei, cum amisisset
 sua & suos, & percussus esset vlcere pessimo;
 Adhuc tu permanes in simplicitate tua?
 Benedic Deo, & morere. Irrisio est, quasi dicat:
 Si perseveraueris in benedictione tua, morie-
 ris. Tertiò, continuè impugnat. Bernardus. Tot
 tentationibus plena est vita nostra, vt non im-
 merito tota ipsa debeat tentatio appellari. Gre-
 gorius. Diabolus assidua tentatione nos tentat,
 vt saltem tædio vincat. Quartò, variis impugna-
 tionibus impugnat: vt quem non vincit vna,
 vincat altera. Paulinus Episcopus Augustino
 ait: Hostis noster, cui mille sunt nocendi artes,
 tam variis repugnâdus est telis, quàm impugnat
 insidiis. Ipse tentat secundum complexionem,
 vel mores, vel statum hominis. Gregor. Intuetur
 inimicus humani generis vniuscuiusq; mores,
 cui vitio sunt propinqui: & illud ponit ante fa-
 ciè: ad quod cognoscit facilius inclinari mentè:
 vt blandis ac lætis mentibus sæpè luxuriâ, non-

Glossa ord.
ibid.

Eccl. 9.

Iob. 2.

Serm. 5. sibi
per Psalm.

Qui habi-
tat. ante
medium.

Li. 20. mori
cap. 14.

nunquam vanam gloriam: Asperis verò mentibus iram, superbiam, vel crudelitatem proponit. Eos qui sunt in paupertatis deserto, incitat ad iram vel impatientiam: vnde eius tentationibus est ventus vrens. Dicitur de solitudine in qua fuerunt filij Israël, quòd in ea erat fenspens flatu adurens. His qui sunt in prosperitate suadet pigritiam; & talibus est tentatio, vt ventus Aquilo. Eccles. 43. Ventus Aquilo flauit, & gelauit cristallus ab aqua. Illos quos videt feruentibus ad bonum, incitat ad hoc, vt ascendam vt de alto possit eos præcipitare: quod est multum periculosum. Bernardus super Cant. Non habet callidus hostis machinamentum efficacious ad tollendum de corde dilectionem, quam si efficere possit, quòd in ea incautè ambuletis & non cum ratione. Videte fratres quomodo cautè ambuletis. Nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit. Quintò, impugnatione eius vniuersalis est: vnde dicitur, fagena, quæ est rete totam aquam occupans. Expandit fagenam suam, & semper interficere gentes non cessat. Impugnatio eius vniuersalis est quantum ad tempus. Bernardus in sermonibus. Præmonitos vos esse volo, neminem super terram ab aliqua tentatione esse victurum: vt cui fortè tollitur aliqua, aliam securus expectet; aut fortè non securus, sed pavidus magis; & sic petat ab ea liberari, vt nunquam sibi in corpore mortis huius libertatem perfectam seu requiem audeat polliceri. Qua in re consideranda nobis est tam benigna erga nos diuinæ pietatis dispensatio, vt quibusdam tentationibus nos patiatur diutius occu-

Dent. 8.

*Serm. 19.
super Cant.
circa finē.*

*Ephes. 5.
1. Pet. 4.*

Abac. 1.

*Serm. 5. super
Psal.
qui habitabat
à med.*

occupari, ne fortè periculosiores occurrant: ab aliquibus verò citius liberet, vt possimus aliis, quas nobis vtiliores fore prouidet, exerceri. Impugnat diabolus non solum vigilantes, sed etiam dormientes. Gregorius: Sanctos quos minus valet vigilantes, grauius tentat diabolus dormientes; quod benignè permittit Dominus, ne saltem somnus à passionis præmio vacet. Sustinentia passionis, quæ est in dormiente, per se non habet meritum: sed repressio, quæ est in vigilante, eius ad quod incitatio facta est; vnde occasionaliter dictum est verbum Gregorij. In fine vitæ fortius impugnat, sciens quòd si tunc aliquam vicerit, post non vincetur ab eo. vnde dicitur calcaneo insidiari, quod est pars extrema corporis. Genes. 3. Gregorius. Sciendum quod plerumque eis quos cepit, tunc grauiores culpas ingerit, cum præsentis vitæ termino illos appropinquare cognoscit. Item vniuersalis est quantum ad loca; Circuiui terram, & perambulauit eam. Circuit quærens quem deuoret. Tentat in deserto, ciuitate, etiam in loco sacro: vt patet in tentationibus Christi. Item vniuersalis est quantum ad personas. Impugnat enim diuites & pauperes. Pauperes capit, eorum ditationem procurando: vt occasione diuitiarum fiant mali. Difficile enim est non corrumpi à contubernio earum. Ipse super omnem munitionem ridebit, comportabit aggerem, & capiet eam. Diuites & potentes superat, quia diuitiis & potentia faciens eos abuti, quasi proprio gladio eorum ipsos vulnerat. Ipse de regibus triumphabit: & tyranni erunt ridiculi

*Lib. 8. mor.
ca. 18. circa
medium.*

*Lib. 1. mor.
ca. 38. à me-
dio, id ha-
betur in
sententia.
Iob. 1.*

1. Pet. 5.

Matth. 4.

Abac. 1.

Abac. 1.

H 5

eius

- eius. Ipse illos potius nititur acquirere, per quos sperat se plures acquiraturum, scilicet illos qui præsumunt. Totum pondus belli versum est in
- 1. Reg. 31.* Saul. Non pugnabitis contra maiorem vel minorem quempiam, nisi contra regem Israël.
- 3. Reg. 22.* Item magis impugnat sanctiores. Gregorius
- Li. 26. mor. cap. 5.* Crescentibus virtutibus magis sæuit diabolus
- Job 40.* ad tentandum. Et super illud: Absorbebit fluuium, &c. Antiquus hostis pro magno non habet, cum sub iure suæ tyrannidis terrena quærentes tenet, qui per ipsa vitæ suæ studia deorsum tendunt: sed illos magnopere rapere nititur, quos despectis terrenis studiis iã iungi celestibus contemplatur. Vniuersalis est etiam impugnatione, quantum ad ea quibus impugnat, utitur enim ad impugnandum & bonis & malis. Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animæ hominum, & in musculam pedibus insipientium. Omnibus se iuuat diabolus contra homines, quibus homines contra ipsum se debuerant adiuuare. Etiam propinquissimi eorum diabolus iuuant. Ipse procurat, ut homines donis Dei contra Deum utantur: & bonis propriis in malum proprium abutantur. Maximè verò potest in amatoribus terrenorum. Vnde dictum est: Terram comedes.
- Gen. 3.* Abscondita est in terra pedica eius. Laqueus super te qui habitator es terræ. E contrario dicitur; Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.
- Job 18.*
- Isa. 24.*
- Pro. 1.*

SEQUI-

SEQUITUR QUARTA PARS HVIVS
 libri: quæ continet sex capitula. In quorum primo
 agitur de modo repugnandi serpenti in-
 fernali, per contritionem
 capitis.

CAPVT I.

DE modo repugnandi diabolo. Circa
 quod primo notandum est, quod con-
 uenientissimus modus repugnandi ser-
 penti infernali est per cōtritionem capitis eius:
 quem modum docet Dominus, loquens ad ser-
 pentem de muliere, quæ figuram tenet Ecclesie; *Gen. 3.*
 Ipsa conteret caput tuum. Serpens præ cæteris
 caput custodit. Et non est caput nequius super
 caput colubri: Ideo totis viribus debemus co- *Eccl. 25.*
 nari ad eius contritionem. Caput verò intellige
 vel superbiam, vel principium tentationis: vel
 peccatum cordis, antequam per locutionem,
 vel operationem, exierit extra. Contritio capi-
 tis primo modo, scilicet destructio superbiæ,
 multum valet ad repugnandum ei: & hanc fa-
 cit humilitas, quæ multum valet ad triumphan-
 dum in diabolo. Humilitas gloriam victoriæ
 tantum Deo attribuit: & propter hoc totum
 pondus prælij eidem imponit. Cuius enim est
 victoriæ gloria, est & pugna. Humilibus à Deo
 adiutorium gratiæ datur: à quo superbis resi-
 stitur. Ideo non est mirum si humiles trium-
 phent, & superbi vincantur: Deus superbis re-
 sistit, humilibus autem dat gratiam. Item caput *Iacob. 3.*
 serpentis infernalis est conterendum, quia in
 prin-

*Exod. 12.**Li. 14. mor.
cap. 20. à
med.**Li. 33. mor.
cap. 40. à
med.*

principio tentationis est ei resistendum. Poëta: Principiis obsta, sero medicina paratur, Cum mala per longas conualuere moras. Gregorius in moral. Si tentationi in corde nascenti festine non resistitur, hac eadem, qua nutritur, mora roboratur. In Psal. Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram. Diabolus quasi paruulus est in principio tentationis: vnde tunc facilius potest occidi in homine. In morte primogenitorum liberati sunt filij Israël de seruitute Pharaonis. Primogenita Pharaonis infernalis sunt principia tentationum: quibus si viriliter resistatur, cito liberatur homo à diabolo. Qui verò in principio non resistit ei, vix ab eo se expedit. Hieronymus. Lubricus est antiquus serpens, & nisi capite teneatur, totus statim illabitur. Conterendum est etiam caput serpentis infernalis, vt peccatum cordis antè destruat, quàm per locutionem vel operationem extrahatur. Summopere debet homo cor custodire, sicut caput suum, iuxta admonitionem illam: Estote prudentes sicut serpentes. Diabolus tanquam superbus & ambitiosus supremam partem nostri, scilicet cor obtinere nititur, tanquam arcem in castro nostro: vt in omnibus perfectè dominetur. Vnde cum cordi cogitationes immittit, affectum ad malum incendit. Gregorius super illud Iob. 19. Simul venerunt latrones eius, & fecerunt viam per me: Maligni spiritus, qui exquirendis hominum mortibus occupantur, quia viam sibi in afflictorum cordibus faciunt: inter aduersa quæ exterius tolerantur, cogitationes prauas immittere non desistunt.

fistunt. Itē Gregorius super illud Iob. 41. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur: Quid prunas, nisi succensas in terrenis concupiscentiis, reproborum mentes appellat? Tanto igitur Leuiatan halitu in prunas flat, quanto annisu suggestionis occultæ humanas mentes ad illicita inflammat. Flamma oris eius, est instigatio occultæ locutionis. Damasce-nus. Potens est diabolus immisiones facere: in nobis autem eas suscipere, vel non suscipere. Et notandum, quod cogitationes malæ diuersis de causis in corde insurgunt. Vna causa est corruptio, quæ est ex peccato primorum parentum. Illud enim: Spinæ & tribulos germinabit tibi: intelligitur de terra quam calcamus, & de terra, quam gestamus. In vtraque enim inutilia, vel noxia gratis nascuntur: vtilia verò cum labore. Aliquando verò insurgunt occasione rerum visarum vel auditarum: vel alio sensu corporeo perceptarū. Cū enim aliquis ad mentem redit, volens intendere orationi vel meditationi, vix potest se expedire ab his quibus videndo vel loquendo, vel audiendo paulò antè intentus fuit. Limosa enim est substantia animæ, sicut & corporis: & quidquid contrectat, facile ei adhæret: iuxta verbum Bernardi. Aliquando insurgunt instinctu diaboli, vt prius ostensum est. In libro de Ecclesiasticis dogmatibus. Non omnes cogitationes nostræ malæ semper diaboli instinctu excitantur: sed aliquando ex nostri arbitrij motu emergunt. Concupiscentia etiam est causa malarum cogitationum in nobis. In vitis Patrum quidam frater dixit

Abba-

Gen. 3.

Cap. 82. habetur hic lib. in Aug. tom. 3.

*Bernard.**In 2. part.
in lib. con-
tra fornicationem, an-
te medium.*

Abbati suo: Quare non recedant à me tenta-
tiones? Et dixit ei senex: quia vasa earundem
tentationum intra te sunt. Hæc vasa intelligun-
tur concupiscentiæ, vnde cogitationes oriun-
tur. Vbi enim amor, ibi oculus. In libro de vita
solitaria. Qui redit ad conscientiam, si nondum
vicit cõcupiscentiam suam, inuenit ibi de con-
cupiscentia sua vel suaues delectationes, vel
graues corrosiones: & inde multiplicat cogita-
tiones. Qui verò iam concupiscentiam vicit,
quamdiu tamen maioris boni concupiscentia,
vel maior delectatio mentem non obtinuerit:
cum exosa quadam voluptate, gestorum, visor-
um, auditorum patitur imaginationes. Vnde
in vtroque lumbi implentur illusionibus dele-
ctationum: & ad cogitanda diuina vel spiritua-
lia lumen oculorum suorum ipsum non est se-
cum. Vna etiam cogitatio est causa aliarum. Qui-
dam frater interrogauit senem quendam, dicens:
Quid faciã, quia multæ cogitationes sollicitant
me: & nescio quomodo repugnem eis? Qui re-
spondit: Non repugnes contra oēs, sed contra v-
nam: quæ est caput aliarum. Cõtra cogitationes
malas luctari nos oportet. In vitis patrum dixit
quidam senex de antiquis patribus: Non sumus
eradicatores cogitationum: sed luctatores. In
eod. dixit quidam Abbas: Si cogitationes nõ ha-
bes, spem non habes, quòd opera habes. Vnde
remedium contra malas cogitationes est, quòd
non permittantur exire extra per locutionem vel
operationem. In vitis patrum dixit Abbas pa-
stor cuidam Abbati: Sicut capsula plena vestibus,
si dimissa fuerit, tempore longo putrefiunt ve-
stes

stes in ea : ita similiter cogitationes in cordibus nostris, si non fecerimus eas, tempore longo exterminabuntur. Idem ad Abbatem Ioseph: Sicut si quis claudat serpentem vel scorpionem in vase, & obstruxerit illud, procedente tempore serpens morietur : ita malæ cogitationes, quæ studio dæmonum pullulant, patientia eius cui immittuntur, paulatim deficiunt. Et specialiter expedit, quòd cogitationes iracundiæ, ad verba nõ procedant. Requisiuit quidam frater Abbatem Isaac, quare eum tantum dæmones timerent? Qui respondit : Ideo me timent dæmones: quia ex quo factus sum monachus, statui apud me, ne iracundia mea extra guttur meum procederet. Super illud Prouer. 12. Fatuus statim indicat iram suam. dicit glossa : Natura iræ est, vt prolata ferueat, occultata languescat. Aliud remedium est reuelare eas sanctis patribus. Vnde quidam seniorum cuidam impugnato à spiritu fornicationis, dixit : Fili non abscondas cogitationes tuas, ita enim confusus spiritus immundus discedet à te. Nihil ita confundit & allidit virtutem dæmonum : quomodo si quis secreta immundarum cogitationum suarum reuelauerit sanctissimis ac beatissimis patribus. Aliud remedium est meditatio sacræ Scripturæ. In libro de vita solitaria: De quotidiana lectione aliquid in ventre memoriæ est demittendũ, quod fidelius digeratur, & rursus reuocatũ crebrius ruminetur, quod proposito conueniat, quod intentioni proficiat, quod animum detineat, vt aliena cogitare non libeat. In lege eius meditabitur die ac nocte: In corde meo abscondi eloquia tua.

In vitis patrum in 2. part. ca. 85.

Bernard.

Iud. 16.

vt non peccem tibi. Et notandum quod cogitationes bonæ multum faciunt ad robur & decorem animæ: cogitationes verò malæ, quibus non resistitur, faciunt ad corruptionem & debilitatem animæ. Sampson rasis crinibus debilis fuit: Crines caput cordis ornantes, sunt sanctæ cogitationes. Seneca: Cogitationes vagas & inutiles, & velut somnio similes non recipies quibus si oblectaueris animum tuum, cum omnia disposueris, tristis remanebis. Hier. 4. Vtique quo morabuntur in te cogitationes noxiæ. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.

Isa. 1.

Et notandum quod quandoque aliquis tentatur cogitationibus animæ exosis & molestis quæ magis esse pœnales videntur, quàm culpabiles: quibus diabolus affligit animam, cui scilicet displicere Dei contumeliam, quasi conuiciando Deo, & blasphemando eum coram ea: quod fieri potest, non solum sine animæ periculo, sed etiam cum merito. Contumelia enim creatoris ab inimico eius dicta, coram Dei amico, cui displicet multum, non est causa quod Deus offendatur ei qui ex ea molestatur. Legitur in vitis Patrum, quod quidam cuidam Abbati aperuit, quod spiritu blasphemix impugnaretur. Cui Abbas ait: Quando hæc cogitatio te arripuerit, dic: Blasphemia ista super te fit sathana. Hanc enim causam anima mea non vult. Et innuitur his verbis duplex causa, quare non est tantum periculũ in ista blasphemia, sicut multi credunt. Vna est, quia animæ non placet: sed vehemens timor offensæ diuinæ adducit has cogita-

*In 2. parte,
cap. 53.*

gita-

gitationes animæ nolenti, sicut homini timido, qui est in tenebris solus, adducit timor terribilia ante oculos cordis, licet hoc sibi multum displiceat. Præterea illæ blasphemix, diaboli sunt, quasi conuiciantis Deo. vnde displicentia mereri potest, qui eas audit. Contra hanc tentationem est necessaria patientia: quæ si desit, poterit accidere, quod cooperabitur diabolo ira ipsius, qui has cogitationes patitur: & erit tunc ipsius culpa.

De quibusdam quæ multum valent ad triumphandum de diabolo.

CAPVT II.

Secundo ad repugnandum diabolo multum valet honesta occupatio. Est enim velut murus prohibens, ne tentator accessum habeat ad feruum Dei. Homo otiosus est sicut villa absq; muro. Ascendam ad terram sine muro: veniam ad quiescentes habitantesq; securè. Hieronymus. Semper aliquid boni operis facito: vt te diabolus inueniat occupatum. Nolite locum dare diabolo. Augustinus: Non facile capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio. In libro de vita solitaria. Omnium tentationum & cogitationum malarum & inutilium sentina, est otium. Summa enim mentis malitia est otium iners. Nunquam otiosus fit seruus Dei. Iob. 40. Circundabunt eum salices torrentis. Salices torrentis sunt homines infructuosi, & in aquis deliciarum nutriti: qui sunt circa diabolum, parati ei obedire. Quantum cauendum sit otiositas,

Ezech. 3.

Eph. 4.

I tas,

Pro. 12.

tas, patet ex illo verbo: Qui sectatur otium stultissimus est. Non dicit solum stultus, ve stultior, sed stultissimus. Aduertenda est triplex stultitia in otioso. Prima est, quod vitæ æternæ providere necessaria negligit. Secunda est, quod hostibus suis se exponit, vt prius ostensum est. Tertia, quod hostes suos pascat & nutrit: vitia scilicet, quæ otio nutriuntur & impinguantur, vt boues, & cætera animalia. Sicut difficile vel impossibile est cauere, ne in utilia in agro nascantur, nisi per diligentem curam procuretur, vt vtilibus impleatur: ita difficile vel impossibile est cauere à malis, nisi homo occupetur bonis. Per agrum hominum pigri transiui: & per vineam viri stulti: & eccorum totum repleuerant vrticæ: operuerant super faciem eius spinæ. In vitis patrum dicebat quidam senex, quod tres sunt virtutes sathanæ. Prima est obliuionis. Secunda negligentia. Tertia concupiscentia. Diabolus vt in obliuione inducat, rapit semen verbi Dei de corde hominis. In negligentibus verò zizania seminat. Cum dormirent homines, venit inimicus, & super seminauit zizania. Concupiscentia verò inflammatur, vt prius ostensum est. Seruus Dei est in religione, otiositatem timens, quæ multa mala docuit, eligendo sibi operationem, talem debet eligere, quæ eum occupet: & potius quæ occupet animum quàm corpus. Debet etiam eligere talem quæ habet vtilitatem. In lib. de vita solitaria: Pro vitando otio otiosa sectari ridiculum est. Spiritualia etiã exercitia debet præponere corporalibus: & inter corporalia illa quæ sunt

*Pro. 24.**Marc. 13.**Luc. 8.**Matth. 13.*

homo occupetur bonis. Per agrum hominum pigri transiui: & per vineam viri stulti: & eccorum totum repleuerant vrticæ: operuerant super faciem eius spinæ. In vitis patrum dicebat quidam senex, quod tres sunt virtutes sathanæ. Prima est obliuionis. Secunda negligentia. Tertia concupiscentia. Diabolus vt in obliuione inducat, rapit semen verbi Dei de corde hominis. In negligentibus verò zizania seminat. Cum dormirent homines, venit inimicus, & super seminauit zizania. Concupiscentia verò inflammatur, vt prius ostensum est. Seruus Dei est in religione, otiositatem timens, quæ multa mala docuit, eligendo sibi operationem, talem debet eligere, quæ eum occupet: & potius quæ occupet animum quàm corpus. Debet etiam eligere talem quæ habet vtilitatem. In lib. de vita solitaria: Pro vitando otio otiosa sectari ridiculum est. Spiritualia etiã exercitia debet præponere corporalibus: & inter corporalia illa quæ sunt

sunt propinquiora spiritualibus. In eodem lib.
 Non vir propter mulierem : sed mulier propter
 virum. Non spiritualia exercitia sunt propter
 corporalia : sed propter spiritualia , corporalia.
 Propterea sicut viro creato collatum est adiu-
 torium simile sibi , & ex ipsa ipsius hominis sub-
 stantia : sic etiam ad adiutorium spiritualis stu-
 dij necessaria sunt corporalia. Non tamen sem-
 per in hoc conuenire videntur omnia corpo-
 ralia exercitia : sed quæ cum spiritualibus pro-
 pinquiores videntur habere similitudinem &
 affinitatem : vt scribere eò quòd legatur. Cor-
 poralia enim exercitia & opera , sicut sensus di-
 strahunt, sic sæpe spiritum exhauriunt. In eo-
 dem : Quæris quid agas, in quo te occupes? Pri-
 mum, vltra quotidianum sacrificium oratio-
 nis, & lectionis studium, conscientia quotidia-
 na discussioni, emendationi, compositioni,
 pars sua diei neganda non est : deinde operan-
 dum etiam manibus aliquid quod iniungitur,
 non tam quod animum delectando detineat,
 quàm quod spiritualibus studiis delectationem
 cõseruet & nutriat: in quo remittatur ad horam
 animus, non resoluatur. Vnde se facile, mox vt
 sibi ad seipsum redeundum esse visum fuerit,
 expediat, absq; contagio contractæ dilectionis,
 vel memoria imaginantis. Debet etiam seruus
 Dei, cum operatur, non solùm attendere ad id
 quod agit : sed etiam ad id pro quo agit. In eo-
 dem libro: Serius animus & prudens ad omnem
 se comparat laborem, nec in eo dissoluitur, sed
 per eum magis in seipsum colligitur: semper præ
 oculis habens non tam quod agit, quàm quod
 I 2 agendo

*Bernard.**Bernard.*

agendo intendit. Omnis consummationis at-
tendit finem. Cui in quantum verius innititur
in tantum fidelius & feruentius manibus ope-
ratur.

De vigilantia quæ valet ad idem.

Contra impugnationem diaboli multum
est necessaria vigilantia. Cùm timor hosti-
um visibilium, qui sunt minoris potentia, astu-
tia & malitia, faciat homines vigilare armatos
& ad suam defensionem paratos: quid debet fa-
1. Mach. 12. cere timor inuisibilium hostium? Præcepit Ie-
nathas suis vigilare, esse in armis paratos ad pe-
Matth. 26. tionem 1. Petri 5. Vigilate, quia aduersarius ve-
ster diabolus tanquam leo rugiens, circuit, que-
rens quem deuoret. Cùm non dormiat qui im-
pugnat, dormire non debet somno pigritia ve
negligentia, qui repugnat. Gregorius: Vigilans
dum semper est, vt mens sollicita nunquam re-
laxetur ab intentione superna. Semper contra
occultas insidias, cautela est prouidenda. Ab-
cuc 2. Super custodiam meam stabo. Cant. 3. Vi-
niscuiusq; ensis super femur suum. Pugna illi
multum est habenda in memoria. Iob. 40. Me-
mento belli. Habenda est memoria huius pug-
nae in manè, vt præmuniamus nos oratione
tanquam campum certaminis ingressuri. Item
in vespere, vt Deo gratias agamus, si de hoste tri-
umphum habuerimus. Si verò victi fuerimus
non debemus intrare lectum, donec Deo per
humilem pœnitentiam reconciliati simus. Te-
mendum est valde, in potestate inimici sui ob-
dormire

dormire. Quasi continuè habenda esset huius pugnae memoria. Valet enim ad hoc, ut homo sit humilior, cautior & deuotior. Humilior est, qui sine gloriatione est: sciens se esse adhuc in praelio: Non gloriatur accinctus, æquè ut discinctus. Cautior est, intelligens se pugnam habere cum hoste callidissimo. Bernardus: Magnum discrimen, aduersus diabolicæ fraudis astutias tam crebros, imò tam continuos sustinere conflictus; quem tam astutum fecit, tam subtilis natura, quàm malitiæ huius exercitatio longa. Deuotior est Deo, quem vitæ suæ cognoscit protectorem, cum hostem habeat tam potentem: Non est super terram potestas, quæ comparetur ei. Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti. Habemus pugnam cum gigante, cum simus quasi locustæ. Origenes: Vult Dominus Iesus mirabiles res facere. Vult enim de locustis superare gigantes: & de his qui in terris sunt, cœlestes vincere nequitas. Etiam in pugna diaboli multum valet sobrietas. Ideo Petrus de hac pugna instruens, primo monet ad sobrietatem; Sobrij, inquit, estote. Diabolus primo impugnat hominem ea parte, qua homo est eo inferior, scilicet, ex parte carnis. In Psal. Minuisti eum paulo minus ab angelis. Primò, tentauit hominem de peccato guttæ: similiter & Christum. In via laqueum ponit: per quam homo necesse habet ire. In Psal. In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. In foueam magis propinquam conatur hominem præcipitare. Vix diabolum perfectè vincit, qui in hoc primo conflictu succumbit. Bernardus: Diabo-

3. Reg. 20.

In meditat.
ca. 15. in fine,
& ser.
5. in quadrag.

Iob. 41.

Tren. 3.

1. Pet. 5.

In med. ca.

15. parium à
 princ. Eodē
 cap. 15. in
 med. Esfer.
 5. in qua-
 drages.

Ephes. 6.

1. Theff. 5.

Hebr. 11.

1. Petr. 5.

1. Mach. 6.

Apoc. 12.

Luc. 8. 12.

Ioan. pen.

lus plus in adiutorio carnis confidit: quia plus
 nocet domesticus hostis. Idem, Hac vitur tor-
 tuosus ille serpens humani generis inimicus, cu-
 nullum est aliud desiderium, nullum negoci-
 um, nullum studium, nisi perdere animas no-
 stras. Idem, Hic est qui baculo nostro nos cedi-
 & manus nostras proprio cingulo ligat, vt can-
 quæ data est in adiutorium, fiat nobis in ru-
 nam & in scandalum. Grauis lucta & grande pe-
 riculum aduersus domesticum hostem pugna-
 re, maximè cum nos aduenæ simus, & ille citius
 ille suam inhabitet regionem, nos exules simus
 & peregrini. Ad triumphandum etiam de dia-
 bolo multum valet fides. In omnibus sumemus
 scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequi-
 simi ignea extinguere. Induti lorica fidei. Sa-
 sti per fidem vicerunt regna. Cui resistite for-
 tes in fide. Fides diabolum de arce mentis ex-
 pellit, ponens ibi vexillum, Christum in cru-
 pendentem, quod diabolo multum displicet,
 quia superbus est, & quia hoc vexillum ei ex-
 sum est, eo quod in cruce fuerit deuictus. E-
 des pugnantibus ostendit Christum tripliciter.
 Primò, vt strenuum ducem, exemplum stren-
 nuè pugnandi dantem. Secundò, vt potentissi-
 mum adiutorem. Tertiò, vt liberalissimum re-
 muneratorem. Primo modo, ostendit eum
 exacuendum eos in prælium. Elephantis ostendit
 eos in prælium: Ipsi vicerunt eum propter fan-
 guinem agni. Sic ostendit se Apostolis, cum
 essent clausi propter metum Iudæorum. Sec-
 cundo modo ostendit se Stephano, pro eo lo-
 pidat

pidando: qui vidit Iesum stantem à dextris Dei, tanquam paratum ad adiuuandum. Tertio modo ostendit se Abraham, dicens ei: Noli timere Abraham. Ego protector tuus sum: & merces tua magna nimis. Pone me Domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. Fides verò non solum ponit Deum iuxta hominem, sed etiam intra hominem. Per fidem enim Christus inhabitat in cordibus nostris. Item fides ostendit infernale patibulum eis paratum, si victi fuerint: & regnum eis paratum si vicerint. Ostendit etiam eis Deum, & angelos bonos & malos: & aspicientes certamen eorum. Boni aspiciunt, vt si vicerint, gaudeant: mali vt si victi fuerint, irrideant. Spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Bernardus, Dæmonum est suggestiones malas ingerere: nostrum est non consentire. Nam quoties resistimus, diabolum superamus, angelos lætificamus, & Deum honorificamus. Ipse nos hortatur, vt pugnemus: adiuuat vt vincamus. Certantes spectat, deficientes subleuat, videntes coronat. Quæ autem dicta sunt, intelligenda sunt de fide viua, non mortua. Bernardus: Non mirum videri potest, si fides nequaquam vincit, quæ nec viuit. Item ad vincendum diabolum, multum valet spes vel fiducia in Deo. In Psalm. Qui confidunt in Domino, sicut mons Syon. Item: Qui saluos facis sperantes in te. Proverbior. 28. Qui sperat in Domino, saluabitur. Non est pugna vestra, sed Domini. Et postea: Non eritis vos, qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter stete, & videbitis auxilium

*Actor. 7.**Gen. 15.**Iob. 17.**1. Cor. 4.**In meditat.**cap. 14. cir-**ca finem.**Serm. 1. in**Oct. Pasche**paulo ante**medium.**2. Par. 20.*

*Ser. 85. su-
per Cantica,
pariim
ante med.*

Cant. 8.

*Luc. 11.
Eccl. 4.*

Job. 20.

Matth. 4.

Pro. 24.

Eccl. 9.

Sap. 6.

Ibid. 7.

Isa. 11.

Domini super vos. Isaia 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, scilicet, propriam in diuinam. Bernardus: Nihil sic omnipotentiam verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit eos, qui in se sperant. Denique omnia possibilis sunt credenti. Idem: Quoties tentationibus resistis, quoties vincis malignum, noli propriis viribus tribuere, noli in te, sed magis in Domino gloriari. Quomodo enim ille fortis armatus tuæ cederet infirmitati? Etiam ad vincendum diabolum multum valet dilectio, quæ est vnio hominis cum Deo & proximo. Fortis est vt mors dilectio. Sicut diabolus dispergendo impugnat: sic Christus in militibus suis colligendo & vniendo de ipso triumphat. Qui non colligit mecum, dispergit. Melius est duos esse simul quàm vnum. Si quis præuulerit contra vnum, duo resistent ei. Sapientia etiam multum valet in bello contra diabolum, cum ipse astutia, non potentia pugnet nobiscum. Exemplum de hoc habemus in Christo ductore huius belli, qui prudentia, eius percussit superbiam. Ipse tribus verbis sacræ Scripturæ diabolum prostravit in deserto. Vir sapiens fortis est & vir doctus, robustus & validus. Dicebam ego sapientiam meliorem fortitudine. In eodem. Melior est sapientia quàm arma bellica. Melior est sapientia quàm vires: Sapientiam non vincit malitia. Sicut castrum forte est quod vndiq; profunda aqua cinctum est: sic facit ad fortitudinem mentis, si cingatur aqua sapientiæ salutaris. Non nocebunt, neque occident in vniuerso monte sancto meo, quia repleta est terra scientia

tia Domini. Loquitur de serpentibus infernalibus. Item ad vincendum diabolum valet misericordia, sicut ad casum facit incompasio & indignatio, quam habet aliquis ad peccatores. Qui ad indignandum facilis est, erit ad peccata procliuior. Nouit Dominus pios de tentatione eripere. Et super illud Psal. Misericordia mea & refugium meum. dicit glossa: De nulla re ita vincitur inimicus diabolus, sicut de misericordia. Ecclesiast. 29. dicitur de eleemosyna: Super scutum potentis, & super lanceam, aduersus inimicum tuum pugnabit. Et notandum, quod licet omnis tentatio possit esse à diabolo, specialiter tamen diaboli tentationes dicuntur, quæ incitant ad iram & amaritudinem. Bernardus in Meditat. Caro suggerit mihi mollia, mundus vana, diabolus amara. Quoties aliqua carnalis cogitatio mentem meam importunè pulsatur de cibo, de potu, de somno, cæterisque similibus ad carnis curam pertinentibus, caro mihi loquitur: quando verò de ambitione seculi & iactantia, & de arrogantia, cogitatio vana in corde versatur, de mundo est. Quando autem ad iram & iracundiam, & ad amaritudinem animi prouocor, diabolica suggestio est, cui non aliter quàm ipsi diabolo resistendum est. Et contra hanc diaboli tentationem valet lætitia spiritualis. Antonius: Vnica ratio vincendi inimicum est lætitia spiritualis. Cõtra amaritudinem hanc, quam incurrit aliquando qui est in religione, aduertendum est, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et super il-

*Pro. 29.**2. Pet. 2.**Glossa ord.
ibid.**In med. ca.**14. à med.**Glossa ord.
ibid.*

*Rom. 8.**Iacob. 1.**Matth. 5.*

Iud: Omne gaudium existimate fratres cum in tentationes varias incideritis: dicit glossa. Spe illius boni ad quod tenditis, quicquid in via cōtigerit, gaudere debetis. In Psal. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, & cū vos persecuti fuerint, &c. Gaude te & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

*De solatiis humane ignorantie & fragilitatis
contra astutiam & potentiam
diaboli.*

CAPVT III.

*Serm. 1. su-
per Cant.
parum an-
te med.*

Item notandum, quòd licet hostes nostri invisibiles sint multò nobis potentiores & astutiores: habent tamen serui Dei multa solatia & contra eorum potentiam, & contra eorum astutiam. Et possumus ostendere decem solatia, quæ habent contra eorum potentiam. Primum est, liberi arbitrij nobilis potestas, quæ diabolo cogi non potest, de qua Bernardus. Arbitrij libertas est planè diuinum quiddam, præfulgens in anima tanquam gemma in auro. Et hac nempe inest illi inter bonū & malum, nec non inter vitā & mortem, & inter lucem & tenebras, cognitio iudicij & optio eligendi. In hac libertate homo non est inferior diabolo: imò ei præcellit, quia liberum arbitrium diaboli adeò inclinatum est ad malum, & depressum, quòd ad bonum surgere nō valet. Propter hanc libertatem arbitrij quæ est in homine, dicit Gregorius

Non

Non est timendus hostis, quia non potest vincere nisi volentem. Et super illud Matthæi 4. Mitte te deorsum. Glossa. In quo infirmus ostenditur, cum nulli nocere possit, nisi prius ille se deorsum miserit. Secundum est gratia Spiritus sancti, quæ in seruis Dei est: quam diabolus non habet, nec habere potest. Non est timendus spiritus malus ei, cuius infirmitatem iuuat Spiritus sanctus. Spiritus adiuuat infirmitatem nostrâ. Gratia ista Apostolos fecit inuincibiles. Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto: Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes. Gratia ista Dei armatura est, quæ si ab homine non abiiciatur, homo à diabolo non superatur. Boëtius in libro de consolatione: Talia contuleramus arma, quæ nisi prior abiecisses, inuictis te, firmitate tuerentur. Tertium est ligatio diaboli, quæ non finit eum inferre violentiam seruis Dei, nec in eorum corporibus, nec in rebus, nisi accepta licentia à Deo: ut patet in Iob, cui vnam ouiculam diabolus auferre non valuit, donec licentiam à Deo accepit. Quartum est refrenatio diaboli à têtatione seruatorum Dei, ut non incitet eos ad malum quantum vellet: Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiam cum têtatione prouentum, ut possitis sustinere. Nunquid illudes ei quasi aui, aut ligabis eum ancillis tuis? Deus diabolo quasi aui illudit: dum in sanctis carnis fragilitatem attendens, virtutem mentis quæ latet, non perpendit; quæ agnita ipse eos metuit. Gregorius: Si antiquus hostis à mête ceperit expelli, ex diuina largitate ple-

*Glossa ord.
ibid.*

*Rom. 8.
Luc. 9. 11.
Actor. 1.*

Iob. 1.

1. Cor. 10.

Iob. 40.

*Lib. 3. dial.
c. 20. in fine.*

plerumq; agitur, vt non solum iam timeri non debeat, sed ipse etiam bene viuentium virtute terreatur. Ancillis ligatur, quando adeo potestas eius refrenatur, vt etiam à puellulis superetur. Virgo vna aliquando tenet contra diabolum castrum fragile corporis sui 40. annis. Quintum est angelorum custodia: quam Deus vocat sepem: Auferam sepem eius, & erit in direptionem. Angelis suis Deus mandauit de te: Raphaël religauit dæmonem in deserto: Dixit Elizeus ad ministrum suum. Noli timere. Plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis. Sextum est adiutorium fratrum. Prouerb. 18. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. Gregorius. Electorum multitudinem eo maligni spiritus pertimescunt, quo eos per charitatis concordiam vnitos contra se, & conglobatos conspiciunt. Septimum est adiutorium sanctorum. Bernardus super Cantic. Bene tecum agitur mater Ecclesia, bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ: de cælo & de terra venit auxilium tibi. Octauum est gratia diuinæ protectionis seruis Dei promissa: quam Dauid vocat scutum, dicens: Scuto circumdabit te veritas eius. Bernardus: Quemadmodum vndique sunt bella, vndique sunt præsidia. Idem: Veritas circumdabit, quia verax est qui promittit, & sic exhibet vt promittit. Fidelis Deus est, &c. vt supra. Idem. Non incongruè scuto comparatur gratia diuinæ protectionis: quod in superiore parte latum est, vt caput humerosq; custodiat: in inferiori verò strictius vt minus oneret, maximè quod graciliores sunt tibiæ, nec tam facillè vulnerentur.

Isa. 5.

Psal. 4.

Tob. 8.

4. Reg. 6.

Hom. 8. in

Ezech. inter prim. &

medium.

Serm. 77.

super Cant.

circa med.

Serm. 5. super

Psa. qui

habitat

circa med.

1. Cor. 10.

tur: sed nec adeò periculosum fit in illis parti-
 bus vulnerari. Sic omnino militibus suis Chri-
 stus, ad inferiora tuenda, magnam stricturam
 & penuriam rerum temporalium donat, nec
 vult eos illarum multitudine prægruari: sed
 vult vt victum & vestitum habentes contenti
 sint. In superioribus verò dat latitudinem a-
 bundantis gratiæ spiritualis; ideo serui Dei de-
 bent intendere, vt sanctorum suffragia & Dei
 protectionem habeant. Bernardus: Oratione o-
 pus est, ne inducamur in tentationem. Vnde est
 illud in oratione Dominica: Et ne nos inducas
 in tentationem. Item: Lucæ 18. Oportet semper
 orare, & non deficere. Eiusdem 21. Vigilate om-
 ni tempore, orantes, &c. I. ad Thessal. 5. Sine in-
 termisione orate. Bernardus: Qui sumus nos,
 aut quæ est fortitudo nostra, vt tam multis ten-
 tationibus resistere valeamus? Et subdit: Hoc e-
 rat in te, quod querebat Deus. Hoc erat ad quod
 nos perducere satagebat, vt videntes defectum
 nostrum, & quod non fit nobis auxilium: ali-
 unde ad eius auxilium tota humilitate curra-
 mus. Cum ergo impetum tentationis sentimus
 in cogitatione, statim fugiamus ad ipsum, &
 postulemus eius auxilium. Nonum est supposi-
 tio manus diuinæ in casu seruorum Dei. Ber-
 nardus: Omnes aliquando est necesse cadere,
 dum in hoc seculo detinentur: sed alij collidun-
 tur, alij non, quia Dominus supponit manum
 suam. Sed quomodo eos discernere poterimus:
 vt segregemus iustos ab iniustis? Et subdit: Hoc
 interest inter eorum casus, quòd iustus suscipi-
 tur à Domino, ideoq; resurget fortior: iniustus
 cum

*Serm. 5. su-
per Psa. qui
habitat.*

*Serm. 5. in
quadrage-
simum an-
te mediū.*

*Serm. 2. su-
per Psalm.
qui habi-
tat inter
princip. &
medium.*

Ser. 17. super Cant. à medio illius.

cùm ceciderit, non adiiciet vt resurgat, imò aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit. Aut enim excusat quod fecit, & hoc est pudor adducens peccatum: aut fit ei frons meretricis, & iam nec Deum timet, nec hominem reueretur. Decimum est benigna Dei ordinatio: qua diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Bernard. Iocundum Dei iudicium: quod ille superbus malleator humilium, nesciens fabricat eis coronas perpetuas, omnes impugnando, & omnibus succumbendo. Idem: Stat propositum, stat sententia Dei super timentes eum, ipsorum dissimulans mala & remunerans bona: vt miro modo non solùm bona, sed etiam mala cooperètur in bonum. Idem: Nonne casus nobis cooperàtur in bonum: vnde humiles efficimur & cautiores?

*Ioan. 14.
1. Ioan. 2.
1. Cor. 2.*

Exod. 7.

Còtra astutiam diaboli habent etiam solatia serui Dei, de quibus quinq; tangere sufficiat. Primum est sacræ Scripturæ documentum. Secundum spiritualium virorum consilium. Tertium exemplum Christi & Sanctorum. Quartum instructio angelorum. Quintum Spiritus sancti magisterium, qui errore periculoso eos errare non permittit. Ille vos docebit omnia, & vnctio eius docebit vos de omnibus. Sapientia Christi & seruorum eius præualet astutia dæmonum. Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & etiam dæmonibus. Serpens qui factus ex virga Mosi, deuorat serpentes factos ex virgis Magorum. In serpente astutia designatur. Contra hoc quod diabolus omnibus crea-

turis

turis vtitur ad seruorum Dei impugnationem, solatium est quod serui Dei eisdem possint vti ad sui defensionem. Creaturæ enim incitant ad Dei timorem, amorem & laudem. Contra hoc quod serui Dei castrum cordis contra hostes inuisibiles habet defendere, quod maius est mundo, cum creatoris & creaturarum capax sit: solatium est, quod porta huius castri clausa, hostes non timentur. Hæc porta est intellectus, per quæ noxia & salubria ad animam intrant. Hæc porta clausa est, cum intellectus salubri meditatione occupatur. Cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum. *Matth. 6.*

Quomodo repugnandum sit hosti, cum impugnat molestiis, & cum impugnat delitiis.

CAPVT IIII.

Item notandum quod diabolus quandoque impugnat molestiis, quandoque delitiis. Cum impugnat molestiis, non est fugiendum. Bonæ enim sunt, & fugientes magis grauât. *Mi Domine Deus quid dicam, videns Israëlem hostibus suis terga vertentem? Sen. Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus: sic omne fortuitum incommodum magis instat cedenti ex aduerso. Salustius: Fugientes sæpius videas capi & occidi: fortissimum quemque, tutissimum. Bern. in epist. Sola causa qua perdere possis victoriam, fuga est. Fugiendo, illam poteris amittere, moriendo non potes. Et beatus es si pugnando moriaris: quia mox coronaberis: vix autem tibi, si declinando pugnam, perdis simul*

Iosue 7.

Epist. prima in fine illius.

Epist. 1. circa finem illius.

Epist. prima, parū à fine illius.

simul & victoriam, & coronam. Idem: Overtuta pro Christo, & cum Christo pugna: in qua nec vulneratus, nec prostratus, nec conculcatus, nec millies si fieri posset, occisus, fraudaberis à victoria: tantum ne fugias. Iacob. 4. Resiste diabolo, & fugiet à vobis. Bernardus: Libentius insequitur aduersarius fugientem, quam sustineat repugnantem. Impugnatio quæ fit delitiis: vincitur fugiendo, 1. ad Corinth. 6. Fugite fornicationem.

Sex documenta quæ multum valent in pugna diaboli.

CAPVT V.

Item notandum, quòd sex sunt quæ in pugna homini multum valent. Primum est vt tempestiuè arma accipiat. Aliqui tunc & primo arma accipiunt, quando iam vulnerati sunt. Armorum acceptio, est ad tentationem præparatio, excogitando modum resistendi tentationi: quod ante tentationem est faciendum. Secundum est, vt ex ea parte qua debilior est, magis à diabolo impugnatur, magis se muniat. Si ad loquacitatem pronum se videat, magis taciturnitatem amplectetur. Tertium est, vt in loco vbi facilius potest resistere hostibus, resistat. In loco alto & arcto debilis resistit forti: & paucitas multitudini. In alto eminentis vitæ portare se debet: quod multis occupationibus faciendum est angustum: vt hosti via non pateat. Ad portas etiam sensuum resistendum est hosti. Quartum est, vt inter eos qui sunt pro eo, & qui sunt

sunt contra eum, prudenter discernat. Cùm peiores inimici quos habemus, sint proprius sensus, & propria voluntas; contradictiones quæ impugnant proprium sensum, & persecutiones quæ impugnant propriam voluntatem, pro nobis sunt: fauores & applausus qui nos decipiunt, contra nos sunt, & ideo nobis sunt timendi. Quintum est, vt repugnando, magis contraria, quàm similia eligat. Sicut aqua pugnatur contra ignem: sic sapientia pugnandum est contra stultitiam, bonitate contra malitiam, amore contra odium, taciturnitate contra loquacitatem. Sextum est, vt non inutiliter se fatiget in hostium impugnatione, quando gloriosius potest vincere sine labore: qui modus vincendi pertinet ad patientiam. Melior est patiens viro forti: *Pro. 16.*
 Ne dicas, reddā malum pro malo. Expecta Dominum, & liberabit te. Liberabit, inquam, à labore, & à periculo vindicandi te. *Ibid. 20.*

De tentatione pusillanimitatis.

CAPVT VI.

Circa tentationem pusillanimitatis, notandum, quòd sæpe caussa pusillanimitatis est complexio: quam etiam augent cibi, ex quibus humores melancholici generantur. Augetur etiā ex frequenti actu timendi. Auget etiam eam nimium ieiuniū, vel nimix vigilix, vel nimia sollicitudo studij, vel alterius modi. Et hostis callidus quem pusillanimum cōspicit timore vano, vult vel incitare ad malum, vel impedire à bono. Illi verò qui tentationem pusillanimitatis habet, vtile est, vt pusillanimitati non nimis cedat:

K

dat:

Pro. 15.

dat: sed cum discretione ei resistat. Hanc tentationem multi errores comitantur: & tristitia multa. Sicut enim secunda mens est quasi iugum conuiuium, sic mens pusillanimis, habet multum tormentum. Et sicut qui modicum luctum vult nimis vitare, solet aliquando in luctum magnum incidere: sic qui nimis vult vitare quod pusillanimitas reputat malum, aliquando incidit in magnum malum: & ita arctatur ei via paradisi, ut non appareat ei per eam transitus, propter quod eam dimittit, & manifestè per viam inferni incedit. Talis quod turpius est tantum querit: propter quod periculum magnum incurrit. Item illi qui habet hanc tentationem multum utile est, ut visionem quam timor illi introducit, non reputet conscientiam: & eo ipsi visionem illam suspectam habeat, quo introducta est à timore: & sufficienti deliberatione eam examinet, cum timor cessauerit. Sicut enim timor impedit animum ne possit cernere verum: ita timor. Et in his quæ introducit pusillanimitas magis alieno iudicio credat, quàm suo. Cum verò visionem illam, vel per se, vel alio indicante, errorem esse deprehenderit, libenter & audacter contra illum errorem faciat. Frequenter ei timendo timidi: & frequenter audendo audaces efficimur. Valet etiam contra hanc tentationem, ut ab his quæ pusillanimitatem auferunt, caueatur. Et quia à maligno spiritu pusillanimitas iuuatur, utilis est contra hanc tentationem

oratio.

Finit tertius liber.

QVARTA